

„fente Clerico, & etiam *solus* infirmum ungeret potest: „Fragmentum Epistolæ continens responsum Pontifi- „cis refertur in *Cap. 14. De V. S.*

VII. Ex his duo habemus, Unum, jam pridem apud Latinos, & hodie etiam apud Græcos, plures Sacerdotes in administratione hujus Sacramenti intervenisse. Alterum, nequaquam tamen plurium Sacerdotum concurrentium ita necessarium esse, quin unus solus valide hoc Sacramentum administrare queat.

Utrumque expressit S. Thomas *lib. 4. contra Gentes cap. 73.* „Quia hoc Sacramentum (Unctionis) „perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod „multi Sacerdotes inter sint, & quod oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuret. Unde „Jacobus dicit: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ & oratio fidei sanabis infirmum*; si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere „in virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & „cujus personam gerit.

Non dubium quin, institutioni hujus Sacramenti esset convenientius, ut plures Sacerdotes & Clerici ad infirmum inungendum accederent: ut ipsa plurium Sacerdotum simul convenientium oratio fidei efficacius impetraret, & infirmo gratiam accerseret.

VIII. Hinc S. Carolus in Concilio IV. Mediolanensi *part. 2. cap. 6.* monet Parochum, ut „id Extremæ Unctionis Sacramentum ministraturus, quot commodè „potest, Presbyteros & Clericos adhibere studeat superpelliceo indatos: qui ipsum & ministrantem & precantem, pietatis orationisque studio in eo ministerio „adjuvent.

Optandum sanè esset, ut Episcopi & Parochi excitarent Sacerdotes & Clericos, ut officium hoc pietatis infirmis, quando occasio se offert, & aliis necessariis negotiis non impediatur, impenderent; atque sua pietate & precibus hujus Sacramenti uberiorem gratiam in infirmum quodammodo attraherent.

IX. Sanè cum juxta Jacobi Apostoli verba, non tantum S. Unctioni, sed & orationis fidei effectus Sacramenti tribuatur, atque propterea ex præscripto Ecclesiæ, etiam multò plures in hujus, quam aliorum Sacramentorum administratione, preces recitandæ sint, dolendum est, unum dumtaxat Sacerdotem cum Clerico seu Custode adhiberi; eosque non rarò has preces seu formulas quasdam sibi præscriptas sine intimo pietatis affectu, & fidei ardore recitare; ut merito dubitetur, num ex parte ipsorum dici queat oratio fidei, quam S. Jacobus requirit, & an non merito adscribi queat defectui orationis fidei, quòd hujus Sacramenti tam exiguus appareat fructus. Licet enim Sacramentum suum operetur effectum ex opere operato, ut loquuntur, dubitari tamen nequit, quin pietas atque fides ministrantium & assistantium, ac multorum adunata & charitate fideque fervens oratio non parum conferant, ut uberiorem effectum in suscipiente habeat.

Hic quoque obiter reflectendum, quam merito in Synodis sæpius decretum sit, ut in Custodes Ecclesiarum Parochialium eligantur pietate ac morum probitate insignes; uti supra *part. 1. tit. 4. cap. 2.* annotavimus; quandoquidem ipsi sint, qui una cum Sacerdote preces in administratione hujus Sacramenti pro infirmo recitare solent.

X. Secundum modernam disciplinam non quilibet Presbyter est hujus Sacramenti Minister, sed soli Parochi; in tantum ut in *Clem. 1. De Privilegiis* decernatur, quod „Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramentum Unctionis Extremæ, non habita super hoc Parochialis Presbyteri licentia speciali ministrare præsumunt, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, „per Sedem Apostolicam dumtaxat absolventi; quos

„etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis constituerit) excommunicatos faciant publice nuntiari, „donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, „nullo Religiosis eidem super hoc exemptionis, vel alio „privilegio suffragante.

XI. Insuper Synodi, ac Ritualia alium hujus Sacramenti ministrum (excepto casu necessitatis) quam Parochum non agnoscunt; omniaque Decreta, ac instructiones omnes ad Parochos diriguntur.

S. Carolus in Synodo Mediol. V. *parte 1. tit. 11.* expressè habet: „Ne alius Sacerdos, nisi Parochus hoc „Sacramentum ministrat. Si porò is impeditus aut a- „liàs in mora est, mox tunc periculum instat tunc Sa- „cerdos alius ministrat licet. Et Catechismus Romanus *part. 2. de Sacramento Extremæ Unctionis §. 2. 1. ait:* „Neque tamen ex Ecclesiæ Decreto cuius Sacerdoti, „sed proprio Parochi qui jurisdictionem habet, sive alteri „cui ille hujus muneris fungendi potestatem fecerit, „hoc Sacramentum administrare licet.

XII. Imprimis autem monent, ut „Parochi ægrotos sæpè invitant, hortenturque, ne ad extremum Sacramenti hujus susceptionem differant; ac potius sensibus rationisque usu adhuc integris, illud tibi administrari perant, ut ita uberiorem ejus fructum percipiant; „uti loquitur Synodus P. II. Mechl. *tit. 8. cap. 1. & alia* „passim Synodi inculcant.

XIII. Quin, ubi infirmum esse resciverit Parochus de quo veretur, ne fortè negligentia aut malignitate domesticorum aut propinquorum non munitus Sacramentis moriatur, adeat ad infirmum, etiam non vocatus, eumque ad suscipienda Sacramenta excitare conetur, quem admodum habet Synodus Bascooducensis sub *Masio tit. 8. cap. 2.* aliaque plures.

XIV. „Ut vigilanter Pastor hoc Sacramentum infirmis impendat (ait citata Synodus Bascooducensis *cap. 4.*) non tantum officii sui ratio eum excitare debet, „sed etiam exemplum B. Malachie Episcopi, de quo scribit Bernardus in ejus vita: quod cum ad nobilem „familiam Oleo Sacro ungendam vocatus esset, & illa „tamen sine hoc Sacramento expirasset; ita Vir Sanctus confirmatus est, ut juxta eam stans, pro Oleo „Sacro largissimo lachrymarum imbre mortuam percussit, totaque nocte gemitibus consumpta, non „prius animo quietem restituerit, quam defuncta ad vitam revocata gratia hujus Sacramenti, qua caruerat, „frueretur.

XV. Neque tempore pestis aut alterius morbi contagiosi hujus Sacramenti administrationem negligendam esse passim Ritualia & Synodi indicant, ritum & cautionem designantes, quibus morbis hujusmodi infectis administrari possit.

Imò contrariam opinionem, quæ alibi invaluerat, quod peste infecto ministrare non deberet, tamquam perniciosum errorem reprobat Synodus Namurcensis anno 2639. *tit. 14. cap. 9.* dicens: „Saluti Subditorum nostrorum consulere volentes, ordinamus, „ut Pastores suis subditis pestilentia correptis, quamvis Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ eis ministraverint, non omittant etiam Extremam Unctionem illis dare, si id absque manifesto vitæ periculo „præstare possint.

Deinde *c. 10.* „Qui autem peste afflatus non est confessus, nec potest confiteri, Pastor teneatur illi Extremam Unctionem, etiam cum periculo vitæ dare.

Idèò indubè, quod priori casu, ipsa confessio & absolutio quodammodo vices Extremæ Unctionis, saltem quoad remissionem peccatorum, & Viaticum quoad infusionem gratiæ suppleverint; posteriori vero casu, ipsa Extrema Unctio tanquam species Pœnitentiæ, defectum Confessionis & Sacramenti Pœnitentiæ supple- re aliquo modo debeat.

XVI.

XVI. Cum juxta modernam praxim, non nisi post Viaticum, & in gravi valde infirmitate Sacra Unctio conferri soleat; nec ægri illam in Ecclesia (quemadmodum olim frequenter fiebat) sed domi suæ decumbentes accipere consueverint; idèòque sacrum Oleum per Sacerdotes ad ædes decumbentium sit deferendum, pro reverentia ipsius sacri Olei & Sacramenti, in ple- rilque Synodis & Ritualibus statutum est, ut Sacerdos ægrotum uncturus, indutus sit superpelliceo & stola, committante & precedente Custode, similiter superpelliceo induto.

XVII. Ut tamen populus sciat, Sacro Oleo non deberi eum cultum adorationis, qui exhibetur Eucharistiæ, monent Synodi uti & Ritualia, ut dum Sacrum Oleum solum deferretur, Custos Sacerdotem præcedat, sed sine Nola, cujus sonitu populus ad adorationem Eucharistiæ excitari & moneri solet.

XVIII. Quin & Synodus Namurcensis anno 1639. *tit. 14. cap. 1.* vult quidem „Parochum Sacrum Oleum infirmorum ad ægrotos deferentem Matricularius de- „recto capite comitetur, sed addit: „Non tamen lu- „MEN, aut NOLAM sonantem præferat, nisi simul deferatur „Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ.

Quod de vetita luminis gestatione ante Sacrum Oleum hic decernitur, hodie non observatur; imò in ple- rilque Synodis & Ritualibus expressè decernitur, ut Custos lumen præferat. In numero tamen tædarum aliove externo cultu convenit, ut sit differentia in delatione Eucharistiæ & Sacri Olei, ut inde populus intelligat, alium planè cultum & reverentiam Eucharistiæ, quam Sacro Oleo exhibendum esse.

XIX. Ad hæc monent Synodi, ut cum Sacrum Oleum ad infirmum deferendum est, „campana aliqua pulse- „tur ex Parochiis, cujus sono omnes intelligant, defe- „rendum Extremæ Unctionis Sacramentum, moneanturque Fideles, ut hoc signo dato, se ad Ecclesiam con- „ferant, & Sacerdoti se jungant, pro salute ægri cum „eodem deprecaturi; & ad hoc opus charitatis, etiam „propositis indulgentiis, ubi expedire judicaverit Epi- „scopus, invitentur: cæteri, quibus non vacat, erigant „saltem animum in cælum, & pro salute decumbentis „aliquam orationem offerant Deo; extrema enim „hac necessitate, fidelium precibus ægri maximè indi- „gent, & iidem maximè juvantur.

XX. Ita Synodus P. II. Cameracensis *tit. 12. cap. 1.* quod & in aliis Synodis statuitur; additurque, ut tam- eundo quam redeundo à fabulis omnes abstineant, de- voti in fundendis precibus pro salute infirmi, uti loquitur Synodus Iprensis sub *Rithovio tit. 17. cap. 2.* monentque Pastorem Mechliniense ut inter eundem Parochum recitet Psalmum *Miserere*, aut alios ex Pœnitentia- libus, vel Psalmum *Beati immaculati in via*.

XXI. Opportunè hic monebit Parochus ipsos Fideles, ut meminerint, effectum hujus Sacramenti singu- lariter adscribi orationi fidei, juxta illud Jacobi Apostoli: *Et oratio fidei salvabit infirmum*; ac propterea spe- randum sit, quod quo ferventius orationi instabunt, tanto uberiorem fructum ex hoc Sacramento infirmus sit accepturus.

XXII. Ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, post peractam Unctionem, Sacerdos manum suam super caput infirmi ponens, aut, si id horror morbi vetat, versus infirmum elevans, orationem ibidem præscriptam reci- tare jubetur.

Hic in datione Extremæ Unctionis ritus publicæ Pœnitentiæ apparet. Sicut enim crebras manuum im- positiones & orationes, tum in ipsa Pœnitentiæ datione, tum in ejus decursu, atque Pœnitentium reconciliatione intervenisse.

XXIII. Ex præscripto ejusdem Pastoralis Unctione peracta, porrigit Sacerdos infirmo *cereum ardentem*, di-

cens: „Accipe lampadem ardentem, custodi Unctio- „nem tuam, ut cum Dominus ad judicandum venerit, „possis occurrere ei cum omnibus Sanctis, & vivas in „sæcula sæculorum.

XXIV. Post hæc addit; *Adhibere debet infirmo ima- ginem Crucifixi, ut in eam oculos conjiciat, cum salubri confidentia in Passionis merita*; adiciens orationes binas hic recitandas.

XXV. Hi ultimi ritus, qui mortem admodum vicinam designant, verisimiliter adhiberi cæperunt, postquam Extrema Unctio non nisi morti valde vicinis dari capit: neque enim in Rituali Romano aut Manualibus alia- rum Diocesum hi ritus occurrunt.

Interim occasione horum rituum, & aliorum quæ in administratione hujus Sacramenti interveniunt, occasio admodum opportuna datur Parocho, piam ac saluta- rem exhortationem; præsertim de morte, extremo judicio, & ratione vitæ præteritæ danda, ad circum- stantes habendi, quemadmodum supra *tit. 1. cap. 2. num. 5.* dictum est.

XXVI. In Codice Sancti Remigii (quem circa an- num millesimum scriptum credit Hugo Menardus, & ex quo ordinem ad visitandum infirmum in suis notis ad Sacramentarium S. Gregorii publicavit) hæc leguntur: „Et septem dies vel multò plures, si necessitas fuerit, „tam de communione, quam de alio officio circa infir- „mum fiat.

Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Grego- rii *pag. 335.* reflectens ad citata verba ait: „Ubi tò de „alio officio significatur de Unctione, quam Matthæus „Galenus restringit ad partes *laborantes*, quia, ut vult, „Sacramentum non repetebatur. Verum (pergit Me- „nardus) id quod ait non repeti olim solitum Extremæ „Unctionis Sacramentum in eodem videlicet morbo, „non videtur probabile, quia verba, *quam de alio officio* „sunt generalia, nec possunt restringi ad Unctionem „membrorum affectorum.

XXVII. Hanc expositionem & sententiam Menar- di referens & probans Jacobus Goartius in notis ad Rituale Græcorum *pag. 440.* observat, Græcos non mereri acrem alicujus reprehensionem, quamvis in eodem morbo septem diversi Sacerdotes infirmum sacro Oleo perungant; atque ita Sacramentum iterare videantur: cum aliquando id & apud Latinos servatum fuerit.

XXVIII. Verum sæculo IX. opposita planè opinio aliquorum circa iterationem hujus Sacramenti orta est; nimirum hoc Sacramentum semel susceptum nullatenus iterari posse; eo quod Extrema Unctio species esset sollemnis Pœnitentiæ; quæ cum juxta Canonum anti- quorum rigorem repeti non posset, nec Unctionem repe- ti posse credebant.

Horum unus fuit S. Ivo Carnotensium Episcopus, qui *epist. 255.* scribit: „Unctionem verò, quam semel „accepisti, non *estimo repetendam*. Unctio enim infir- „morum publicæ pœnitentiæ Sacramentum est, quam „non esse repetendam, sicut nec Baptismum, testatur „Augustinus, testatur Ambrosius.

Sub idem tempus Goffridus Abbas Vindocensis *lib. 11. epist. 19.* ad ipsum Ivonem scribens, conque- ritur quod quasdam consuetudines sive institutiones in monasteriis quidam Monachi sibi pro lege vindicent, quas ratio nullatenus dimittit, nec Sanctorum quilibet Patrum invenit, sed insipientium hominum con- suetudo instituit. „Et, ut cætera taceamus, ait, in hoc, „ut nobis videtur, non mediocriter errant, quod Un- „ctionem infirmorum, cum à Sancta Catholica & A- „postolica Sede Sacramentum vocetur, & cum nul- „lum Sacramentum iterari debeat, iterandam pu- „tant.

XXIX. Verum cum certum sit, nonnulla Sacra- menta

